



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

4 Quid sit substantia creata, & quomodo ad naturam & suppositum
comparetur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

verbi gratia, & de illo dicitur quod quid est albi, & tamen quod quid est albi, non est idem cum homine, vel conuerso, quod quid est hominis albi est ipsum quod quid est hominis, & tamen non est omnino idem, quod homo albus; nam homo albus aliquid amplius includit. Et hoc quidem est per se manifestum, quanquam proprie loquendo quod quid est albi non potest dici esse quod quid est hominis, licet de illo denominatiue dicatur. Neque homo albus, quatenus est ens per accidens, habet proprie quod quid est, nisi etiam per accidens, nam quidditas hominis valde per accidens comparatur ad hominem album ut sic. Vnde comparando proprie & per se quod quid est ad id cuius est, in vniuersum verum est esse idem, siue definitum sit substantia, siue accidens, vt late ibi persequitur Philosophus, & est satis per se notum. Quia vero definitio datur de specie & non de indiuiduis, ideo addidit Aristoteles, quod quid est non solum esse idem cum eo cuius est, sed etiam non esse separatum à rebus singularibus, de quarum essentia existit, quod late persequitur contra Platonem per sequentia capita.

In fine vero capitis II. iterum attingit, & in summam redigit hanc comparisonem de quod quid est cum eo cuius est: vnde non est dubium, quin eodem sensu de quod quid est, loquatur. Addit vero ibi vnum, quod superiori loco prætermiserat, scilicet, in primis substantiam quod quid est esse idem cum eo cuius est: in his vero quæ habent materiam non esse idem: per primas autem substantias intelligit ibi Diuus Thomas, substantias spirituales. Et facit huic expositioni, quod videtur illas distinguere à substantiis constantibus materia. Et iuxta hanc interpretationem non limitat Aristoteles superiorem doctrinam, sed amplificat illam: dixerat etiam quod quid est ita esse idem cum eo cuius est, vt non sit separatum à rebus indiuiduis de quarum essentia est, sed in ipsis sit, hic vero addit, aliter esse in immaterialibus, & aliter in habentibus materiam: nam in illis ita est in ipsis vt sit omnino idem cum ipsis indiuiduis, ita vt indiuidua nihil addat supra ipsum quod quid est: in materialibus autem indiuiduis ita est, vt tamen ipsa indiuidua aliquid addant: scilicet, materiam signatam. Ex qua interpretatione, non sequitur Aristotelem aliquid egisse de distinctione nature & suppositi, prout nos loquimur sed ad summum de distinctione nature specificæ & indiuiduæ.

At vero iuxta doctrinam superius traditam Disp. sectio. 2. num. 21. & 36. nulla est hæc differentia inter materialia & immaterialia quoad distinctionem indiuidui. Neque hæc interpretatio Aristotelis est necessaria, quia per primas substantias non intelligit substantias materiales, sed vel ideas Platonis, vel nudas essentias rerum prout specificè concipiuntur. Et hoc explicuit ipse Aristoteles, cum dixit: Dico autem primam, quæ non dicitur per aliud in alio esse, vt in subiecto, vel materia, id est, quæ non dicitur talis per hoc quod ratio communis in ipso sit vt in subiecto, vel indiuiduo, sicut Petrus dicitur homo, sed per se ac præcise, sicut homo est homo. Respectus ergo huius primæ substantiæ, seu primi definiti, quod quid est, est omnino idem cum eo cuius est, ita vt nihil ei addat etiam secundum rationem. At vero si comparatur quod quid est ad id cuius est prout est in materia signata, & particulari (ita enim in eo cap. sæpissime videtur nomine materiæ, vt ipse Diuus Thomas exponit) hoc (inquam) modo, licet quod quod est non sit separatum ab eo cuius est, vt supra dixerat, non est tamen ita idem, quin indiuiduum aliquid addat supra speciem. Loquitur autem specialiter de rebus materialibus, quia de his solis sermonem facit in toto illo libro. Nisi velimus per materiam intelligere quamcumque indiuiduam entitatem, quæ non est de formali conceptu speciei: & quasi materialiter ad illam comparatur, vt Alex. Alenf. & Scotus exposuerunt.

Aliud testimonium Aristotel. ex 3. de Anima in superioribus tractatum est, nam ibi etiam non agit Aristoteles de natura & supposito in nostro sensu, sed de quidditate in comuni prout abstrahit ab indiuiduis, & de indiuiduis ipsis. Cetera etiam omnia quæ in secundo puncto afferbantur, satis expedita sunt.

SECTIO IV.

Quid sit substantia creata, & quo modo ad naturam & suppositum comparetur.



Astenus solum diximus, substantiam, quam suppositum creatum addit naturæ, esse aliquid positum in re ipsa à natura distinctum: superest vt distinctius declaremus quid illud sit, & quanta sit hæc distinctio, & qualiter ad naturam & suppositum se habeat.

Tractatur opinio dicens substantiam esse ipsam existentiam.

Vbi primum occurrit tractanda quarta opinio celebris in hac materia, quæ dixit substantiam nihil aliud esse, quam existentiam substantialem naturæ creatæ, & completæ. Fundamentum huius opinionis in communi est, quia existentia substantialis essentialiter est substantia: ergo illam solum potest addere suppositum nature: Antecedens probatur, quia existentia substantialis essentialiter est per se existentia: sed in hoc solo consistit ratio substantiæ, vt constat ex communi definitione & conceptu eius: ergo Maior patet, tum ex communi ratione substantiæ, nam sicut substantia essentialiter est ens per se, ita existentia substantialis essentialiter est per se existentia: tum etiam quia in hoc solo differt essentialiter existentia substantialis ab existentia accidentali: tum denique quia talis existentia sufficit ad constituendam substantiam completam existentem extra causas, & independentem ab omni subiecto, vel sustentante: ergo illa etiam sufficit ad custodiendum suppositum: & superuacaneum est alias entitates multiplicare.

Dicta opinio in duas subdividitur.

Vnt autem duo modi operandi in hac eadem sententia, nam quidam dicunt suppositum addere quidem solum existentiam supra naturam, non tamen includere illam intrinsece, sed tantum extrinsece, id est, habitudinem ad illam. Ita opinatur Capreol. in 3. distinct. 6. questio. 3. artic. 3. ad 1. contra 2. conclus. vbi non dicit satis aperte hoc esse quod addit suppositum nature, non esse intrinsecum supposito vt suppositum est, sed non esse intrinsecum nature, neque esse partem suppositi: neque intrare eius essentiam. Hæc autem valde sunt diuersa: nam etiam si substantia sit intrinseca forma vel quasi forma constituens suppositum, non est intrinseca nature, vt per se constat: & potest in vero sensu dici, quod non sit pars suppositi, nec de essentia eius absolute, vel vt indiuiduum substantiæ est, vt inferius explicabitur: nihilominus tamen Caietanus & alii Thomistæ communiter tribuunt Capreolo hanc sententiam in sensu dicto, scilicet, quod existentia non constituit suppositum intrinsece, sed extrinsece, ad eum modum, quo obiectum constituit potentiam, vt terminus habitudinis potentie ad ipsum. Quem sensum indicat Capreolus in sequentibus verbis, cum ait, existentia se habet ad suppositum per modum commotati, & inportati, quasi dicitur suppositum esse idem quod indiuiduum substantiæ habens per se esse, & ita sequitur hanc sententiam Iauell. 7. Metaphysicor. questio. 17. Fundamentum

rum esse potest quoad hanc partem, quia sicut existentia est extra rationem substantiæ seu naturæ, ita & extra rationem suppositi: nam, sicut natura, ita & suppositum est indifferens ad existendum & non existendum.

*Capreoli & Hervæi opinio de constitutione
suppositi per aliquid extrinsecum
reincitur.*

IV. **M**erito tamen Caietanus, Ferrar. & alii Thomistæ reiciunt sententiam hanc quoad hanc partem, nam est aperta repugnantia dicere, suppositum & naturam distinguere à parte rei, & tamē suppositum nihil addere naturæ, quod sit intrinsecum ipsi supposito, sed tantum aliquid extrinsece connotatum. Nam, si in ipsa intrinseca constitutione seu compositione suppositi non includitur esse existentia (de hoc enim est sermo in præfati) inquiri, an in his quæ intrinsece includit suppositum, seu ex quibus intrinsece constituitur, includatur aliquid, quod in intrinsecam institutionem naturæ non ingrediatur. Nam si hoc affirmetur, de hoc inquirimus quid illud sit, nam illud est per quod intrinsece & formaliter distinguitur suppositum à natura, & non esse existentia, quod utrique est extrinsecum iuxta hanc sententiam: & respectu utriusque potest considerari ut terminus habitudinis, ut iam dicam. Si vero negetur aliquid includi intrinsece in supposito, quod non includatur intrinsece in natura, vel è conuerso, aperte sequitur nō distinguere hæc duo in re ipsa: quia si distinguuntur, maxime ut includens & inclusum: at nihil amplius includit unum quam aliud: ergo neque illo modo distinguuntur. Dices hoc discursu recte probari non distinguere extrinsece naturam, & suppositum, nihilominus tamen distinguere intrinsece. Sed qui potest intelligi distinctio in sola re extrinseca nisi ratione illius sit etiam distinctio in aliquo extrinseco? Nam distinctio in hoc immediate consistit, quod unum non sit aliud: & ideo necessario requirit ut extrema realia, quæ in re distinguuntur, ita se habeant, ut unumquodque aliquid rei intrinsece in se ipso habeat quod non habet aliud: unde distinctio per extrinseca semper immediate est per aliquid extrinsecum. Ut v. g. si visus & auditus distinguuntur per colorem & sonum extrinsecum, necesse est ut intrinsece distinguantur realiter in entitatibus, quæ respiciunt colores vel sonos.

V. Dices ita esse in præfati, nam suppositum distinguitur à natura per habitudinem ad existentiam substantialem: nam suppositum est cui debetur esse, natura vero non ita. Sed vel hæc tantum est distinctio rationis, vel redit idem argumentum. Et in primis id quod dicitur de habitudine ad esse, quod conveniat supposito, & non naturæ, non est absolute verum, aut limitandum est & declarandum: nam ut supra ostendi, omnis essentia realis habet quod sit huiusmodi per existentiam vel actu vel apertudine, iuxta statum in quo fuerit, actu, scilicet, vel potentia: igitur natura, vel essentia realis etiam dicitur habitudinem ad esse reale: solum ergo differunt quoad hoc suppositum & natura, quod natura est quasi principium quo existentia: suppositum autem est id quod proprie existit. De qua differentia inquirendum restat, an suppositum præter existentiam includat aliquid in re distinctum à natura, ratione cuius dicitur esse proprie capax existentia, ut quod, cum natura tantum sit ut quo, vel nihil huiusmodi includat. Nam si dicatur primum declarandum restat: quid sit illud quod suppositum addit, nam illud est prius ipsa existentia & proprium ac intrinsecum constitutum suppositi, distinguens illud à natura. Si vero dicatur secundum, plane sequitur, naturam, & suppositum solum, ex modo significandi & concipiendi distinguere ut quo

& ut quod in ordine ad esse: quia nihil amplius in re unum quam alterum includit, ut ita concipiantur, vel nominentur: ergo illa distinctio non est in re, sed per rationem constituitur. Sicut etiam Deus & Deitas concipiuntur, & significantur ut quod & ut quo: & tamē sola ratione distinguuntur: quia in re nihil est de ratione aut conceptu Dei quod in ipsa Deitate formaliter non includatur.

Et declaratur tandem ex mysterio incarnationis, nam secundum fidem in Christi humanitate non est suppositum creatum, & iuxta opinionem Capreoli quam tractamus, hoc ideo est, quia non habet existentia ut desit humanitati aliqua alia entitas, vel realis modus, ratione cuius esset, proxime capax existentie creatæ, cum tamen modo non sit; nam, si præter existentiam deest hæc alia entitas, illa est intrinsece constitutus suppositum & distinguens à natura: si vero nihil deest præter existentiam, & ex vi ac præter existentiam illius definit esse suppositum creatum, sequitur aperte existentiam esse quæ formaliter constituit creatum suppositum: & consequenter intrinsece & non tantum extrinsece & distinguere illud à natura. Nam si extrinseca tantum constitueret ut terminus alius habitudinis separata existentia, maneret in humanitate tota illa habitudo: & consequenter maneret ratio suppositi, quæ per illam intrinsece constitueretur. Dicitur fortasse, suppositum non dicere habitudinem potentialem (ut ita dicam) sed actuale ad ipsum esse: dicit enim naturam, connotando, quod actu sit sub suo esse. Sed contra, nam hoc ipsum, solare sub suo esse nihil addit naturæ præter ipsum esse, neque ille ordo seu habitudo actualis, quæ fingitur in natura ad suum esse, sub quo esse dicitur, est aliquid reale in natura præter ipsummet esse, terminans vel actuans illam (omnis relationibus prædicamentibus, quæ nihil ad rem præsentem spectant) ergo reuera existentia iuxta hanc sententiam nō potest dici extrinseca supposito, sed intrinsece constitutus illud. Sicut album, verbi gratia, etiam dicitur ex parte corporis quod sit actu sub albedine: & nihilominus quia corpus non habet hanc habitudinem nisi quatenus informatur albedine: ideo album ut album intrinsece constituitur albedine. Similiter linea terminata dicitur coniunctionem: a qua linea ad punctum terminantem, quia tamen hoc nihil addit ipsi præter punctum actu coniunctum: ideo, licet punctus terminans non sit absolute de ratione lineæ, est tamen intrinsecus lineæ terminatus ut sic. Igitur si suppositum dicit naturam ut terminatam actu per existentiam, quamvis existentia non sit intrinseca naturæ, erit tamen intrinseca supposito ut suppositum est.

Atque hic discursus generaliter concludit contra omnes qui opinantur suppositum addere aliquid extrinsecum ipsimet supposito, siue illud sit ipsum esse, siue aliquid accedens, ut opinatur Hervæus quodlibet 3. quæstione sexta ubi ait, suppositum in re nihil dicere præter naturam: connotare tamen quod habeat omnia necessaria ut sit in rerum natura, siue sit existentia, siue accidentia. Rationes enim factæ in vniuersum probant, id quod constituit suppositum ut suppositum est, esse intrinsecum illi, nam formaliter, seu quasi formaliter constituitur illud. Unde, si suppositum addit supra naturam hoc quod est habere omnia necessaria ad existendum, hoc ipsum habere, quicquid illud sit, est formale constitutum suppositi, & intrinsecum illi: habere autem esse nihil aliud est quam actuari per illud, & habere accidentia non est aliud quam illis affici, seu informati: in quibus effectibus formalibus ipsæ formæ intrinsece includuntur. Hæc ergo opinio, & omnes similes eisdem rationibus improbantur: & præterea improbabilius adiungitur hoc, quod est habere accidentia, quia hæc omnino sunt extra rationem substantiæ: nam neque habitudo ad illa, ut denominatio ab illis prout.

proueniens potest per se pertinere ad constitutionem completæ substantiæ, quale est suppositum. Vnde si cogitatione fingamus (siue id possibile sit, siue impossibile) Deum conferuare substantiam completam cum sua existentia substantiali: & cum quocunque alio substantiali modo (si fortasse aliquis necessarius esset ad complementum primæ substantiæ) illa esset suppositum, etiam si non haberet accidentia naturaliter illi necessaria ad existendum. Et è conuerso humanitas Christi habet omnia accidentia necessaria ad existendum, & tamen non est persona, solum quia deest illi aliquid aliud substantiale. Igitur habere accidentia nullo modo pertinet ad rationem suppositi: sed ad summum est quid consequens naturaliter. Si autem habere existentiam est id, quod præesse completæ rationem suppositi, quodque solum addit suppositum supra naturam, etiam ipsa existentia, intrinsece includetur in ratione & constitutione suppositi.

Tractatur alia opinio ponens suppositum intrinsece constitutum existentia.

¶ Scilicet alius dicendi modus, & potest esse quinque principalis opinio in hac materia, existentiam substantialem extrinsece ac formaliter constituere suppositum. Et consequenter suppositum nihil aliud addere naturæ præter huiusmodi existentiam. Hæc opinio est frequens nunc inter modernos Theologos; & quidem suppositio priori dicto loquitur consequenter: nam, si existentia sola est quam suppositum addit naturæ, non potest per illam nisi intrinsece constitui. Item quia iuxta hanc sententiam existentia est substantia ipsa: sed substantia creata intrinsece constituit suppositum creatum: quia suppositum nihil aliud est quam incommunicabiliter subsistens: per substantiam autem creatam intrinsece constituitur aliquid incommunicabiliter subsistens, ergo. Vnde posita hac substantia in natura, impossibile est non poni suppositum, & ablata illa, & manente quocunque alio in natura impossibile est non poni suppositum. ergo hoc est intrinsecum constitutionum suppositi. Itaque in hoc optime loquitur hæc sententia.

¶ Tamen in eo quod supponit, & in quo cum præcedenti conuenit, scilicet, quod existentia substantialis, intrinsece, formaliter, & essentialiter sit ipsamet substantia, impugnat hæc opinio à Caietano 3. p. qu. 4. art. 2. & aliis, qui eum sequuntur. cuius rationes statim latius videbimus tractando eius sententiam. Summa omnium est, quia iuxta prædictam sententiam cogitur natura tanquam immediatum subiectum susceptuum existentie: & existentia ponitur ut actus immediatus naturæ: suppositum autem ponitur ut quid immediate resultans ex esse, & essentia substantiali. Item iuxta illam opinionem confunditur in substantiis completis compositio ex natura & supposito cum compositione ex esse & essentia. Hæc autem falsa videntur, quia natura non est proximum susceptuum existentie, sed suppositum, iuxta sententiam Diui Thomæ 3. parte questione 17. articulo secundo, in corpore & ad 1. Et ideo (iuxta eiusdem doctrinam) solum suppositum est principium operationis, terminus generationis, vel natiuitatis, subiectum filiationis, & similia: ergo existentia non est actus immediatus naturæ, nec natura est proximum susceptuum existentie, sed inter eas mediat substantia quæ cum natura constituit proximum susceptuum existentie.

Nihilominus, si vera esset sententia, in qua omnes isti authores conueniunt, quod existentia est res realiter ab essentia distincta, præferenda omnino esset hæc quinta opinio, opinionem Caietani, & aliorum, qui tot entitates sine causa multiplicant, distinguentes

personalitatem seu subsistentiam ab essentia, & ab existentia, & rursus existentiam & essentiam inter se. Nulla enim sufficiens ratio reddi potest, aut necessitas tot entitatum. Nam quod in prædicta ratione tangitur de proximo susceptuum existentie, parui momenti est: quia licet admittatur illa distinctio, essentia per se ipsam est capax existentie, ut ex superius tractatis de essentia & existentia satis constat, & ita in communi modo loquendi dicitur res creata componi ex esse & essentia proxime, & immediate, vel secundum rem, vel secundum rationem iuxta diuersas sententias: neque est vlla ratio cur, si essentia creata non est idem cum sua existentia, saltem per se ipsam non sit capax existentie. Modus autem ille loquendi, quod natura non est id quod est, sed suppositum, nihil obstat prædictæ sententiæ quia natura significata in abstracto præscindit ab existentia à qua realiter distinguitur: & ideo non significatur ut habens esse, sed ut principium, & radix illius esse: ac vero suppositum iuxta hanc sententiam significat totum ipsum compositum ex esse & essentia: & ideo ei proprie tribuitur habere esse, & naturam: sicut composito tribuitur habere partes seu componentia.

In quo est rursus considerandum existentiam non esse actum accidentalem sed substantialem: & ideo, si perfecta sit, & talis, ut nullo sustentante indigeat, ipsa constituit totum per se existens, & quia hoc significatur nomine suppositi, ideo existere ut quod, proprie tribuitur huic composito ex tali esse & essentia: naturæ autem proprie non tribuitur hæc denominatio, quamuis reuera immediate actuatur per ipsum esse, quia esse non est forma accidentalis deoominans subiectum quod proxime actuatur nisi improprie, & quasi concomitanter, sed est substantialis actus, constituens rem per se stantem, quam ut sic constitutam per se primo denominat suppositum subsistens, vel existens, ut quod. Igitur si substantialis existentia distincta est realiter à substantiali natura, longe probabilius videtur, ipsammet esse substantiam seu proximam rationem extrinsece constituendam suppositum, aut personam.

Neque contra hoc obstat, quod existentia iuxta hanc opinionem non sit intrinseca naturæ, aut quod non sit de essentia individui substantialis, quia, ut dicebam, aliud est loqui formaliter de supposito ut suppositum est: aliud vero est loqui de natura ipsa, vel de supposito ut est tale substantiale individuum, sub tali specie substantiæ constitutum. Priori modo dicimus iuxta hanc sententiam, existentiam substantialem esse intrinsecam supposito & formale constitutionem illius: non tamen esse intrinsecum naturæ, quia condistinguitur ab illa ut actus eius. Similiter non est intrinseca aut formaliter constituitur suppositum in ratione eius substantialis individui, aut contrahens vel determinans speciem ad hoc individuum, sed hoc est proprium munus principiorum indiuiduantium, & naturæ singularis, à qua habet suppositum ut sit indiuiduum talis essentia, vel speciei, & non à personalitate. Vnde tres personæ diuinæ sunt vnus Deus, & hic Deus, propter eandem singularem naturam Deitatis. Et CHRISTVS Dominus, licet sit hoc suppositum ut constituitur filiatione diuina, tamen est hic homo ut constituitur hac humanitate. Et si Pater, vel Spiritus sanctus illam humanitatem assumeret, esset semper idem homo, quamuis non esset eadem persona. Et hac ratione Christus est vniuoce homo nobiscum, licet non sit vniuoce persona nobiscum: nam cum sit persona increata, & admirabili modo ex duplici natura composita, non potest habere nobiscum vniuocam conuenientiam in ratione personæ, quidquid alii dixerint: tamen quia personalitas non pertinet ad formalem & intrinsecam constitutionem hominis ut homo est, vel ut hic homo est, ideo cum illa diuersitate in ratione personæ stat vniuocatio in ratione hominis.

XI.

XII.

Zamel: p.
q. 3. a. 3.
c. 3.

hominis. Denique ob hanc causam merito dixit Duns Thomas quodlib. 2. art. 4. ad primum, & secundum: substantiam non esse determinationem essentiali ad rationem individui: neque poni in definitione vel ratione huius hominis, etiam si vel talis est definitur. Quod non obstat quo minus, formaliter loquendo de supposito vel supposito est, substantia dicenda sit de intrinseca ratione eius ut forma constituens illud: sicut relatio diuina constituit diuinam personam, quamquam ibi sine compositione sit talis constitutio. Quia omnia non solum in hac opinione, sed in quacunque vera sunt formaliter loquendo de personalitate, quid illa sit.

XIII.

Illud autem maxime videtur huic sententiae obstare, quod supra tactum est, quia suppositum non minus abstrahit ab actuali existentia, quam natura: ergo non magis potest per existentiam consti- tui quam natura. Aut enim est sermo de potentia. Priori modo, verum est constitui per existentiam actualem tali rei proportionatam: sed hoc ipsum verum est de natura ut est in actu. Posteriori autem modo, non constituitur suppositum per existentiam actualem seu exercitam, ut constat nam repugnat habere actualem existentiam, & esse tantum ens in potentia. Vnde Antichristus nunc est quoddam suppositum in esse possibili sine actuali existentia: oportet ergo ut intelligatur constitui per ordinem ad illam seu per existentiam possibilem: idem autem est de natura sub esse possibili considerata, ut supra visum est. Nec potest responderi, sicut existens ut actu existens cum hac reduplicatione non potest concipi tantum sub esse possibili, quia hoc ipsum esse possibile excludit actualem exercitum existentiam, quod inuoluitur in illa reduplicatione existentis, ut existens est, ita nec suppositum apprehendi potest tantum sub esse possibili, quia subpositum includit illam actualitatem existentiam: hoc (inquam) responderi non potest, quia non est contra communem sensum & conceptionem hominum: quis enim dicat Antichristum non esse quandam personam futuram, & nondum existentem? aut supposita quae nunc creata sunt, non fuisse possibilea antequam fierent, & multa alia esse possibilea quae non fi- ent: Non est ergo dubium, quin suppositum abstrahat à possibili & existente.

XIV.

Aliter vero responderi apparentius potest, ipsamet existentiam posse concipi ut actualem, & ut possibilem, & iuxta utrumque statum posse etiam esse rationem constituendi suppositum, vel ut actu existens, vel ut possibile. At vero iuxta hanc responsionem, dici non potest, suppositum addere supra naturam actualem istam existentiam, quia natura actualis, id est, quae iam sit actualis entitas extra causas suas, includit existentiam. hic autem non inquirimus quid addat suppositum actu existens supra naturam possibilem, sed supra naturam actualem & extra causas. Quod si dicant suppositum actualem constitui per existentiam actualem, naturam vero etiam actualem non nisi per essentiam simpliciter id falsum est, nam supra ostendimus actualem essentiam intrinsece imbibere esse existentiam. Et deinde non dicitur consequenter, cum tam in supposito quam in natura distinguatur à nobis status possibilis, & actualis. Quocirca licet supposito illo principio de distinctione existentiae ab essentia merito haec sententia non multiplicet alias entitates, tamen & illud principium simpliciter falsum est, & illo posito nulla potest ratio reddi, cur similis distinctio non intercedat inter existentiam & suppositum.

XV.

Sicigitur contra illam sententiam absolute concludimus. Existentia non distinguitur ex natura rei ab essentia actuali: substantia autem distinguitur ex natura rei ab essentia actuali: ergo non potest esse omnino idem cum existentia. Vel è conuerso, essentia actualis, & eius existentia in re non distinguuntur,

ergo, quantum distinguitur substantia ab actuali essentia, tantum necesse est ab eius existentia distinguere, nam sicut quae sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se in rebus finitis, ita quae sunt eadem inter se quae distinguuntur à quolibet tertio. Praeterea, existentia natura non est separabilis à natura manente illa in rerum natura seu in ratione entitatis actualis, ut in superioribus demonstratum est: substantia autem est separabilis à natura manente in sua actuali entitate, ut in Christi humanitate factum est: ergo. Tandem ex propriis rationibus existentiae, & substantiae ostendi potest eas non esse idem, neque habere eundem quasi effectum formalem, nam ratio existentiae est constituere id cuius est existentia in ratione entis in actu: substantia vero habet constituere ens per se independens ab omni sustentante: & ideo existentia dicitur modum sola ratione distinctum ab entitate actuali, & non potest facere compositionem realem cum illa, quia oportet supponere in alio extremo actualem entitatem, quod repugnat existentiae: substantia vero supponit entitatem actualem naturae quam modificat: & ita potest optime ab illa ex natura rei distinguere, & cum illa compositionem facere: ergo ratio substantiae ex natura rei distincta est à ratione existentiae.

Loquor autem de existentia naturae, nam in ipsamet substantia potest propria existentia considerari sicut & propria entitas vel modus realis, quae ab ipsa substantia in re non distinguitur. Et de hac existentia verum erit, suppositum addere supra naturam aliquam existentiam, non tamen illam quae existit ipsa natura, sed quae existit suppositum ut suppositum est, vel potius quae completur integra existentia totius suppositi: quomodo omnis forma vel modus realis addit aliquam existentiam illi rei cuius est forma, vel modus. Atque hinc confici potest aliud argumentum, nam ratio existentiae generatim sumpta latissime patet, & communis est tam naturae, quam personae, & ipsi etiam personalitati: non potest ergo suppositum distinguere à natura per existentiam absolute & simpliciter sumptam, cum tam natura, quam suppositum, existentiam includat sibi proportionatam, vel in actu, vel in potentia: nam in utroque statu potest tam natura, quam suppositum considerari: ergo ultra existentiam naturae oportet ut suppositum aliquam aliam rem vel modum addat.

Opinio Caietani distinguens realiter essentiam, existentiam, & substantiam.

Refutatis igitur dictis opinionibus, Caietanus in dicto loco 3. part. aliam adinuenit dicendi modum, qui placuit etiam Ferrariensi 4. contra Gentes capite 43. & potest esse sexta principalis opinio in hac materia, quae in his punctis consistit. Primo substantiam creatam esse quandam entitatem omnino realiter distinctam ab essentia, & ab existentia naturae substantialis. Hoc fere non probatur à dictis authoribus aliqua ratione, quae specialiter virget de distinctione reali propriissime sumpta, sed solum late de distinctione ex natura rei. Neque amplius probat argumentum sumptum ab incarnatione, nam ut humanitas Christi possit carere propria substantia, satis est quod in re distinguantur distinctione modalis, etiam si non sit realis: nam optime potest res sine modo suo conservari, praesertim de potentia absoluta. Quod si virget, quia in Christo Domino substantia qua de facto terminatur humanitas, naturaliter distinguitur ab humanitate. Respondetur, ab illa mirabili compositione non posse sumi argumentum efficax ad declarandam naturalem compositionem vel distinctionem suppositi creati: illa enim substantia

substantia humanitatis Christi est supernaturalis illi & increata; imo est perfectum suppositum, cui quasi extrinsecus aduenit humanitas, licet intimo & substantiali modo ei vnita sit: & ideo necesse est illam substantiam esse in re distinctam ab illa humanitate. At vero substantia propria est eiusdem ordinis cum natura, & solum quidam modus illius: ideoque non oportet vt tantum distinguatur à natura, quantum illa substantia increata à natura assumpta. Quomodo autem, hoc non obstante, poruerit substantia propria per substantiam Verbi suppleri diximus in primo tom. 3. part. disputatione octaua, sectio. 3. dub. vltim.

Secundo ait hæc sententia, proprium munus, & quasi formalem effectum substantiæ esse constituere subiectum proprium existentie substantialis, & aliarum proprietatum personalium, vt sunt filiatio, operatio, & similes. Quod non aliter probat Caietanus, nisi quibusdam testimoniis Diui Thomæ: & quia ex communi omnium consensu non est natura, quæ proprie est, vel operatur, sed suppositum. Ex quo additur tertio iuxta hanc sententiam, personalitatem esse aliquid prius ordine naturæ quam sit existentia, & à fortiori quam cæteri actus qui manant à supposito, vel in eo recipiuntur. Ac denique (quod mirabile est) addit Caietanus, hanc entitatem non facere compositionem cum natura, quia non est forma; neque accidens eius, sed purus terminus, & hoc vltimū approbat etiam Fonseca libro 5. c. 8. qu. 6. sect. vlt. ad vltimum, & necessariū existentiam, vt suppositum creatum sit vnum ens per se.

Hæc tamen omnia falsa esse, facile ex dictis probari potest. Et in primis, vt ab hoc vltimo incipiamus, manifesta est contradictio, q̄ hæc entitas sit res distincta à natura, & quod ex illa & natura confurgat suppositum, quod est ens per se vnum: & quod non sit per veram ac propriam compositionem. Quia necesse est, vt inter ea realis vnio intercedat: alias non conflueret ex eis vnum per se: quod modo enim erit vnum ex multis sine vnione eorum? ergo eodem modo necesse est vt intercedat compositio, quia compositio nihil aliud est quam realis vnio rerum distinctarum. Secundo, suppositum creatum non est ens simplex ex vi suæ constitutionis: in hoc enim secundum omnes distinguitur ab increato supposito: est ergo ens compositum, quia inter hæc nō est medium: ergo non est compositum ratione compositionis quæ sit ex natura & suppositualitate. Tertio existentia si est res distincta (vt ipsi volunt) non est proprie forma neque accidens, sed terminus essentia: vel suppositi: & nihilominus facit veram compositionem cum essentia vel supposito, consequenter loquendo in eadem doctrina. Imo ipsi ideo ponunt talem distinctionem, vt ponant omnem creaturam vere & realiter compositam ex esse & essentia: vt patet ex eodem Caiet. de ente & essentia quæst. 11. quamuis ibidem in capite 5. vocet illam compositionem cum his, nō vero ex his, quod iam supra etiam reieciimus, Disputat. 31. sect. 12. ergo, licet personalitas non sit forma, neque accidens, nec pars proprie sumpta, potest ex illa fieri realis compositio. Quod potest quarto confirmari ex mysterio Incarnationis, nam ex Verbo & humanitate fit propria quamuis ineffabilis compositio, vt late probatum est in 1. tom. 3. part. disputat. 6. sectione 4. & tamen Verbum neque est forma, neque accidens, sed terminus naturæ assumptæ. Ratio ergo compositionis seu extremi componentis latius patet quam hæc omnia, quia ratio vnus realis, quæ immediate intercedit inter res diuersas, communior etiam est: & hoc solum requiritur ad compositionem realem. Vnde etiam in linea vera compositio fit ex punctis & partibus lineæ, quod non satis videtur Caietanum attendisse, nam, licet linea non componatur ex punctis, solis scilicet, aut immediate inter se vnitis (ita enim illud principium intelligendum est) co-

ponitur tamen ex partibus & punctis, nā partes per puncta, partes autem & puncta inter se immediate vniuntur, & ita lineam componūt. Supposita ergo distinctione, siue reali siue ex natura rei inter personalitatem & naturam, necessario fatendum est ex eis fieri compositionem, tanquam ex termino & terminabili, nam hæc duo aliquo modo vt actus & potentia comparantur: si ergo distinguuntur & vniuntur, nihil est quod ad compositionem desideretur: & ita nihil est etiam frequentius in authoribus, quam in substantiis creatis inter alias compositiones reperiri hanc, quæ est ex natura & supposito.

Ex hoc autem principio colligo, falsum esse tertium dictum huius sententiæ, nimirum personalitatem comparari ad naturam, vt aliquid prius existentia propria ipsius naturæ. Probatur, quia, si ita esset, non posset facere realem compositionem cum illa. Hoc enim argumento supra probauimus existentiam non posse facere realem compositionem cum essentia, quia ante existentiam, neque ordine naturæ, neque etiam secundum modum concipiendi intelligi potest in ipsa essentia entitas sufficiens ad compositionem. Quia compositio quæ in re sit requirit in extremis componentibus entitatem actualem, quam vnum non habeat ab alio formaliter: ante existentiam vero nulla talis entitas concipi potest: ergo multo minus potest intelligi realis compositio ex natura & personalitate, quæ omnem rei existentiam antecedit etiam ordine naturæ. Accedit, quod si admitteremus veram compositionem realem ex natura & vtique præconcepta in esse essentia: & in existentia, iam tunc superflua esset hæc alia compositio ex natura in esse essentia: & ex personalitate, quæ ordine naturæ sit prior quam compositio cum existentia, quia natura per se ipsam, seu per principia intrinseca habet actualitatem essentia: & rursus adiungitur illi personalitas, quæ terminat illā, ita vt nō innitatur alteri, sed per se sit: quid ergo necesse est aliam rursus entitatem adiungere quandoquidem iam intelligitur res extra causas, & per se, ac intrinsece terminata.

Atq̄ hinc facile improbat secundum dictū huius opinionis. Non enim recte declarat munus suppositualitatis, seu quasi effectum formalem eius, scilicet, consistere in hoc, quod est constituere proximum subiectum existentia: Nam in primis nulla est proprie potentia receptiua, aut susceptiua respectu propriæ existentia: sed tantum obiectiua: ergo ficta est talis entitas, quæ constituat proximum subiectū existentia: Deinde quia eo modo quo res potest dici capax existentia: vnaquæq̄ essentia creata vel creabilis est per se ipsam capax propriæ & proportionatæ existentia: Denique argumentum illud sumptum ex illa locutione, quod suppositum est id quod est, nullius est momenti vt supra dixi, quia non oportet intelligi, esse id quod est, vt subiectum existentia: sed vt constitutum per existentiam cōpletam, & vndique terminatam, seu vt habens existentiam terminatam per substantiam. Quod vero attinet ad alias proprietates personales accidentarias, vere dici potest, personalitatem constituere proximum subiectum vel principium earum, quamuis non constituat subiectum existentia: vt ex dicendis patebit.

Vltimo contra totam hanc sententiam possunt varia argumenta desumi ex mysterio Incarnationis: ex illa primum sequitur humanitati Christi duas entitates deesse ex his, quæ in aliis personis humanis esse solent, videlicet personalitatem, & existentiam, quod Caietanus, & qui eum sequuntur, facile concedent. Ex quo vltius sequitur ex parte humanæ naturæ duplicem vnionem factam esse ad Deum: vnam ad constituendam personam, alteram ad existendum. Tertio sequitur, primam ex his vnionibus factam esse ad proprietatem personalem Verbi: secundam vero factam esse ad proprietatem essentialem, quæ est existere, nam iuxta hanc opinionem existere

XXI.

Substantia non supponitur in natura ante existentiam.

XXII.

Reiicitur Caietani opinio quod ad munera qua tribuit substantia.

XXIII.

sistere solum dicitur de Deo essentialiter. Vnde fit quarto, licet prior vnio sit propria solius Verbi, posterior vero esse communem, quia fit in re communi toti Trinitati: quod esse omnino falsum ipsi merito docent contra Durandum, qui similiter posuit duas vniones ex parte naturæ humanæ, ordine tamen commutato: dixit enim prius vniri humanitatem existentiam, vel subsistentiam essentiali: deinde vero proprietati Verbi: iuxta opinionem vero Caietani è contrario sequitur, prius esse vnitam humanitatem personalitati Verbi, vt in illa, & per illam fiat capax existentiam: deinde vero esse vnitam existentiam qua essentia diuina, & omnes relationes existunt. Vltimo potest probabiliter inferri, posse vnā ex his vnionibus separari ab alia de potentia absoluta: atq; ita humanitatem personatam propria personalitate posse vniri existentiam diuinā vt per illam existat, etiam si non vniatur diuinæ personæ vt supponitur. Quæ omnia partim sunt falsa, partim etiam noua, & superflua, & sine fundamento aut necessitate asserta, quæ hoc loco non latius prosequor, quia eadem fere tacta sunt supra in disp. de existentia.

Vera sententia & questionis resolutionis.

XXIV. **R**escriptis aliorum opinionibus superest vt nostram sententiam aperiamus: & quoniam personalitas per modum actus & formæ à nobis concipitur, ex munere & officio eius optimè intelligitur quid illa sit, & quomodo ad naturam comparetur. Dico ergo primo, personalitatem ad hoc dari naturæ vt illi det vltimum complementum in ratione existendi, vel (vt ita dicam) vt existentiam eius compleat in ratione subsistentiæ, ita vt personalitas non sit proprie terminus aut modus naturæ secundum esse existentiam, sed secundum esse essentiam ipsius naturæ. Hæc assertio fere probata est ex dictis contra Caietanum, & alios. Vnde solum indiget declaratione, quæ primo accipi potest ex ipsis terminis existendi & subsistenti: nam existere ex se solum dicit habere entitatem extra causas seu in rerum natura: vnde de se indifferens est ad modum existendi innitendo alteri vt sustentanti, & ad modum existendi per se sine dependentia ab aliquo sustentante: at vero subsistere dicit determinatum modum existendi per se & sine dependentia sustentante: vnde illi opponitur inexistere, vel inesse, dicitque determinatum modum existendi in alio. Igitur quādiu existentia non est terminata per modum existendi in se, & per se, adhuc est incompleta, & in statu quali potentiali, & ideo vt sic non potest habere rationem subsistentiæ. Rursus si afficiatur modo existendi in aliquo à quo sustentetur & pendeat, etiam habet statum incompletum, quia est in alio à quo pendet, & ad compositionem alius completi entis ordinatur. Tunc igitur existentia naturæ substantialis erit completè terminata, quando fuerit affecta modo existendi per se: hic ergo modus complet rationem subsistentiæ creat: ille ergo habet propriam rationem personalitatis, seu supposititalitatis. Ideoque merito dicitur esse terminus, aut modus naturæ secundum esse existentiam, quia secundum esse essentiam, iam natura est omnino completa, neque indiget alia determinatione, præsertim cum iam supponatur contracta vsque ad indiuiduationem & singularitatem: & sic igitur concepta secundum esse essentiam proxime ac immediate indiget (vt modo concipiendi nostro loquamur) existentia quæ fiat ens actus: postquam vero est essentia in actu, solum indiget modo existendi in se ac per se: hic ergo vltimus est terminus naturæ secundum existentiam eius: & hoc est proprium munus supposititalitatis.

XXV. Secundo declaratur ex modo opposito, qui est esse in alio. Nam in forma accidentali actu inesse alteri

est quasi vltimus terminus, seu modus talis formæ secundum existentiam eius. Accidens enim quamuis ex vi sue existentiam sit aptum & propensum ad inherendum, nō tamen est in actu inherens ex vi solius existentiam, sed indiget speciali modo inherendi, qui est veluti vltimus terminus existentiam ipsius. Igitur opposito quidem modo, tamen proportionabili intelligendum est in substantiali natura, quod, licet sit actualis entitas per existentiam suam ex vi talis existentiam præcise sumptæ non est subsistens, sed indiget modo per se essendi, quo vltimo terminatur existentia naturæ, vt in se sit sine dependentia ab aliquo sustentante: ille ergo modus complet suppositum, & habet rationem supposititalitatis.

Tertio declarabitur ex mysterio Incarnationis: nihil enim aliud intelligimus deesse humanitati Christi, vt non subsistat subsistentia propria, nisi talis existendi modus quo sit per se, & nō in alio. Nam in ea est integra omnis essentia actualis & creata, & consequenter est etiam substantialis existentia humanæ naturæ, tamen quia illa existentia ita est affecta vnitur Verbo, à quo sustentatur & pendet, ideo caret illa humanitas modo existendi per se, ergo solum ex defectu huiusmodi non est subsistens, nec persona creata: ergo talis modus est, quia habet rationem personalitatis creatæ.

Satis sit obiectioni contra positam assertionem.

Argumenta, quæ contra hanc assertionem fieri possunt, præcipua sunt duo, quæ in superioribus fere sunt tacta & soluta. Vnum est, quia hic modus per se existendi, non videtur esse talis, vt in re ipsa adatur existentiam substantiali, sed solum vt secundum rationem contrahat existentiam in communi ad rationem existentiam substantialis. Vnde licet existentia vt sic, sit indifferens ad modum per se vel in alio, nō est tamen illa differentia per modum realis potentie passiuæ ad actus in re ipsa distinctos, & physice afficientes, sed est indifferens secundum rationem, seu est potentia Logica, qualis intelligitur esse in genere, vel in quocunque conceptu confuso, qui contrahi potest per inferiores modos ratione tantum distinctos, & Logice vel Metaphysice determinantes conceptum communem. Quocirca, si non loquamur de existentia in tota illa abstractione, & communitate, sed de existentia substantiali, illa non videtur indifferens ad perfectiorem essendi: nam per hanc distinguitur ab existentia accidentis, ergo nec necessarius est, nec potest intelligi talis modus superadditus existentiam substantiali.

Respondetur tamen ex dictis, hunc modum, seu terminum, scilicet esse per se, esse æquiuocum: Vno enim modo sumitur, vt distinguit contra accidens, & opponitur modo essendi in alio, prout est de essentia accidentis. & in hoc sensu verum est, substantialem existentiam non esse indifferenter ad hunc modum per se, sed per illum essentialiter constitui: & si etiam est verum, existentiam in communi non esse indifferenter ad hunc modum tanquam potentiam realem, neque physice per illum affici tanquam per actum re ipsa distinctum, sed solum abstrahi & contrahi per rationem, tamen per se hoc modo sumptum nō dicit talem modum essendi actualē, quia actu excludat vnionem & dependentiam ab omni sustentante, sed solum dicit aptitudinem, seu existentiam, cui ex natura sua talis modus, talisque independentia debetur: sicut è contrario esse in alio, prout est essentialis modus constitutus accidens, non dicit actuale dependentiam vel inhesionem ad subiectum, sed naturam quæ illam postulat. Alio autem modo sumitur per se, vt dicit talem actuale essendi modum, qui omnino excludat dependentiam & vnionem actuale cum aliquo sustentante, & de hoc modo negamus esse

esse essentialē existentie proprię substantialis nature, quandoquidem ablato hoc modo potest existentia nature conservari, vt in Christi humanitate factum est. Et ideo non solum existentia in communi, vt abrahā ab accidentalibus & substantiā, sed etiam existentia substantiā, non includit actū hunc modū, sed aptitudinē tantum (loquimur semper de existentia creatā, quæ ob suam imperfectionē hanc habet limitationē, nam in increata secus est) atque illa capacitas non est solū Logica potentia, sed Physica & realis, qualis est in re terminabilē respectu termini ex natura rei distincti. Atque in hoc sensu dicitur existentia substantiā indifferens ad hunc modum, nō in differentia quasi neutra (vt sic dicam) quia talis existentia ex natura sua postulat definiri, ac determinari hunc modum, & cum illo habet naturalem connexionē, sed in differentia in primis præcisiua, quia in sua essentia illum non includit, & deinde obedientia, quia potest de potentia absoluta illo carere, & alio opposito affici.

Atque hinc obiter colligitur, cur existentia substantialis nature creatae, quamvis completa, per se ipsam & ex vi suae rationis formalis non sit subsistentia, qua nimirum non includit dictum *per se*, sed potius indifferens in sensu dicto, ut possit interitum alteri substituere & ab illo pendere. Potest autem controuerti quid sit subsistentia creata, an scilicet, ipsa existentia verumque includat, & existentiam & modum: an vero flos ipsius modus sit subsistentia, ita ut subsistentia dicatur addi existentiae, & terminare illam. In qua re magis videtur esse dubitatio de significatione vocis, quam de re ipsa: nam in re ipsa constat ad subsistendum necessaria esse illa duo scilicet, existentiam & modum, & quid verumque conferat: solum ergo potest inquiri quid nomine subsistentiae significetur. Videtur enim *subsistere* significare totum hoc scilicet, *per se* existere, & consequenter videtur subsistentia idem esse, quod *per se* existentia. Atque ita subsistentiam verumque directe includere, existentiam & perfectam. In contrarium vero est quia humanitas Christi simpliciter caruit subsistentia creatura, non tantum ob defectum alterius partis constitutivae subsistentiam, vt sic dicam, sed simpliciter, quia non existit aut subsistit, non habuit. Cuius argumentum est, quod Verbum diuinum illa supplementum humanitatem totam subsistendi rationem, per nullo modo dici possit, subsistentiam Christi vt communis intrinsece includere existentiam creatam, non terminatione Verbi, sed simpliciter esse increatum. Et simile argumentum sumi potest ex mysterio Trinitatis, nam relationes sunt vere subsistentiae personales, etiam si, proprie loquendo non sint rationes habendi ipsi naturae diuinae. Atque ita haec posterior opinio magis probanda videtur. Neque obstat argumentum sumptum a significatione vocis: nam existentia commune est, & naturae, & personae, imo & ipsi personarum: si ergo sit sermo de existentia naturae, quae locuti sumus, illa non includitur formaliter, in conceptu subsistentiae, sed praesupponitur, & induitur tanquam additum, ita vt non dicatur subsistentia esse existentia per se, sed dicatur potius perfecti existentia, seu modus *per se* naturae existentis. si obloqui velimus de existentia ipsiusmet personae, illa intrinsece includitur in conceptu subsistentiae actualis, sicut includitur in conceptu subsistentiae entitatis: & sic etiam in Trinitate subsistentiae existentiae relationes includunt, & in mysterio incarnationis subsistentia humanitatis includit existentiam increatum existentiam relationum Verbi.

Altera obiectio soluitur.

¶ **A**liud argumentum erat, quia supposita existen-
tia in substantiali natura, ille modus per se essen-
Tom. II. Metaphys.

241
diſſicienter intelligitur per ſolam negationem eſſendi in alio, ſi natura illa quæ talem negationem habet, completa ſit, vt excludam animam rationale ſeparatam, & partes etiam integrantes, quæ natura ſua tales ſunt, etiam ſi aſu ſeparantur, vt eſſet manus aut pes, ſi cum eadem materia & forma conſuerentur ſeparata, idemque multi conſent de ſanguine: ſecus vero eſt de partibus homogeneis, quibus accieſſarium eſt, quod ſint partes: & ideo ſtatim ac ſeparantur, ſunt integra ſuppoſita. Vnde ſumitur noua confirmatio: nam hæc pars per ſolam negationem vnionis cum toto fit ſuppoſitum: quid ergo neceſſe eſt nouos modos exogreſſu poſituos? Confirmatur tandem, nam ſingulas naturam ſubſtantialem completam conſeruari a Deo ſine tali modo poſitio cum ſola negatione vnionis ad aliud ſuppoſitum, talis natura eſſet per ſe exiſtens, quia eſſet exiſtens & non in alio, neque vt pars alterius, neque vt dependens ab aliquo ſuſtentante: eſſet ergo exiſtens in ſe ac per ſe: ergo totum hoc ſufficienter concipitur per ſolam negationem.

Ad argumentum hoc responsum fere est ex dictis superius contra Scotum : offendimus enim, supposito in incarnationis mysterio non posse intelligi, quod substantia creatura in sola negatione consistat, aut quod addat solam negationem supra existentiam naturæ : nam licet natura substantialis sit completa in ratione naturæ, non tamen in genere entis & substantiæ, & ideo indiget positivo complemento. Ad confirmationem vero de partibus homogeneis sequenti sectione dicendum est latius, nunc breuiter respondetur, quando pars aquæ, v. g. separatur ab aqua, vel nouam acquirere substantiam, vel certe nouum positum terminum, ratione cuius, quæ erat partialis incipit esse substantia integra.

Ad ultimam confirmationem, aliud est querere an ille casus sit possibilis, aliud quid esset dicendum de natura sic existente, data illa hypothesi per possibile, vel impossibile. De priori puncto dicemus inferius. De posteriori, qui in dicta confirmatione tangitur, dicendum est, in eo casu humanitatem sic existentem non fore personam, neque substantiam propriam, quia licet actu non esset in alio tamen ex modo existendi non repugnaret illi esse in alio, supposito, eius viri secundum se totam, quod repugnat personæ ut persona esse. Vnde ratione personæ est non solum ut negativè non existat in alio, sed etiam ut contrarie (ut sic dicam) seu repugnantè positivè ita existat, ut omnino ei repugnet esse in alio. Atque in hunc modum explicat aliqui effectum, quasi formalem substantiæ seu personalitatis, scilicet, quod talis effectus sit reddere naturam quam terminat, vel potius personam ipsam quam constituit, prorsus in communicabilem alteri personæ: quod quidem verum est, non tamen declarat directè & in se effectum personalitatis, sed à posteriori. Non enim potest forma, seu modus positivus per se primo esse ad dandam solum incommunicabilitatem, quæ est effectus negativus: oportet ergo ut det aliquod esse talis conditionis & naturæ, ut sit prorsus incommunicabile alteri personæ, cui innitatur, vel à qua sustentetur: hoc autem esse positivum non potest à nobis aliter intelligi aut exponi, quam per illum modum actualiter per se essendi, quem declaravimus. Sed de hac incommunicabilitate personæ & substantiæ creatæ dicemus plura in sequentibus.

*Distinctio inter suppositum & naturam
exponitur.*

Dico secundoid quod suppositum creatum addit
supra naturam; distinguitur quidem in re ab ip-
sa natura, non tamen omnino realiter tanquam res
al-
are, sed modaliter vt modus rei al- Priori
tem probant sufficienter omnia supra adducta con-
XXXIII.
D. Tho 3 p.
q. 4. a. 1. ad
3. a. 2. ad 3.
Et quod ib.
2. ar. 4.

tra Durandum, & circa primum dictum opinionis Caietani. Et iuxta illam posset Diuus Thomas exponi, vbiunque ait, suppositum in creaturis distinguere realiter à natura: omnis enim distinctio, quæ in rebus ipsis actu reperitur, solet late realis vocari. Posteriores partem sequuntur multi ex recentioribus discipuli Diui Thomæ, illi presertim, qui existimant existentiam substantialem esse modum ex natura rei distinctum ab essentia separabilem ab illa, quo sensu videtur hanc sententiam tenere. Soto in dialectica quæstione 3. vniuers. & capit. de substant. quæstione 1. & 2. Phylisor. quæstione 2. Potest autem hæc sententia tribus modis affirmari. Primo constituendo hanc distinctionem modalem, tam inter essentiam & existentiam, quam inter existentiam & personalitatem inter se & consequenter etiam inter essentiam & personalitatem. Et hoc modo opinatur Soto, tamen & supponit falsum in ea distinctione existentie ab essentia, & illa supposita distinctione, superflue introducit aliam inter existentiam, & personalitatem, vt argumentis contra Caietanum factis, hic cum proportionem applicatis, ostendi potest. Alio modo potest hæc distinctio modalis poni inter essentiam & substantiam: non vero inter existentiam & substantiam. Et hic sensus supponit etiam sententiam Capreoli quam impugnauimus, & modalem distinctionem inter existentiam & essentiam actuale, quam nos negauimus. Tertio ergo modo nos asserimus distinguere modaliter personalitatem, tam ab essentia quam ab existentia nature substantialis, quamuis hæc inter se non distinguantur. Et hoc sensu probatur primo, quia hæc distinctio sufficit ad saluandum omnia, quæ probant, hæc esse distincta ex natura rei, & maxime ad ea quæ fides docet de mysterio Incarnationis, propter quæ præcipue introducta est hæc distinctio: ergo non est cur maiorem distinctionem fingamus. Assumptum patet, quia hoc satis est, vt humanitas sine tali modo substantie proprie conseruetur, & modo illi opposito afficiatur, scilicet, vnione ad aliam personam: facile enim potest res separari à modo ex natura rei distincto: quæ res in materia de incarnatione locis supra citatis late tractata est. Consequentia vero patet, tum ex illo generali principio, quod distinctiones nec multiplicandæ sunt, neque augendæ sine magno fundamento, & aperta necessitate: tum etiam, quia explicata hoc modo ratio substantie non est difficilis intellectu: illa vero entitas omnino distincta vix potest concipi quid, aut qualis sit, aut quomodo nature vniantur: oportebit enim vniri per alium modum ex natura rei distinctum ab extremis, prout contingit in vnione rerum realiter distinctarum.

XXXIV. Secundo declarari hoc potest proportionali exemplo supra adducto de accidente, in quo actualis inherencia ex natura rei est distincta ab existentia accidentis, non vt res distincta, sed vt modus rei: sic igitur è conuerso actu per se esse, & independentem ab alio sustentante erit aliquid distinctum à substantia: li natura eiusque existentia, non tamen vt res, sed vt modus eius: sicut sedere & stare distinguuntur à quantitate.

XXXV. Tertio: quia iuxta hanc sententiam expediuntur facile omnia, quæ de hac substantia interrogari solent, & difficultates, quæ circa illam occurrunt. Vt, verbi gratia, an sit substantia, vel accidens, dicimus enim, esse substantiam quasi transcendenter sumptam, vt distinguitur contra accidens: quia non potest substantia ab accidente formaliter accipere suum complementum, non esse tamen entitatem: sed modum substantialem, atque ita non directe, sed reductiue poni in prædicamento substantie. Vnde etiam facile respondetur illi interrogationi, quomodo substantia non comprehendatur in illa diuisione substantie in materiam, formam, & compo-

tum: dicimus enim ibi diuidi substantiam prout dicit propriam entitatem substantialem: & ideo non includere modos substantie. Nili fortasse implicite, nam vnio materie cum forma aliquid substantiale est, & non est materia, nec forma, nec compositum, implicite vero in composito inuoluitur. Ad eundem ergo modum dici poterit de substantia, siue Aristoteles illam cognouerit, siue non. Rursus quæri solet, in quo genere causæ substantia afficiat naturam. Et respondemus facile, affectionem modi non semper includere propriam causalitatem, quamuis ad aliquam reduci possit. Id patet de vnione, de inherencia, de dependentia, & similibus. sic ergo dicimus, substantiam reduci quidem posse ad rationem forme, nam est veluti vltimus actus nature, proprie tamen non esse causam formalem. Cuius argumentum est, quia potest suppleri à Verbo diuino, quod propriam rationem causæ formalis exercere non potest. Respondeo ergo appellatur hæc substantia vltimus ac purus terminus nature, quia ante hunc modum existendi est natura, vt supra dicebam, quali in potentia, & in differentia quadam vt possit in se inesse vel alteri vniri: per hunc autem modum ita finitur & terminatur, vt amplius indifferens non sit: idque absque causalitate vel informatione, sed per intrinsecam modificationem. Quamuis autem nonnulla ex his possint aliquo modo declarari, etiam si substantia fingatur res omnino distincta, tamen non omnia, neque cum eadem facilitate vel claritate.

Quarto, iuxta hanc etiam sententiam commodè explicantur nonnulla, quæ circa mysterium Incarnationis solent à Theologis disputari. Primum est, an possit humanitas terminata propria personalitate, etiam aliena terminari. Ex communitate dicitur non posse, cuius ratio vix potest reddi, si personalitas propria est res omnino distincta. Si enim eadem humanitas simul vniri potest Patri, & Filio, vt probatores Theologi docent, cur non poterit etiam vniri illi entitati, quæ est propria substantia, & filiationi diuine? Nam duæ vniones inter se non repugnant formaliter. At vero si substantia solum est intrinsecus modus per se essendi actualiter, manifestam habet oppositionem proximam & immediatam cum modo essendi in alio vt in supposito: vnde conueniens redditur ratio, ob quam non possit humanitas propria personalitate affecta simul aliena terminari.

Rursus quæri solet, an persona creata possit aliam naturam terminare, & communiter creditur non posse. Huius autem ratio vix reddi potest, si personalitas est entitas distincta. Cur enim non potest Deus illam in duobus naturis ponere, sicut potest eundem corpus in duobus locis collocare, vel eandem albedinem in duobus subiectis? At vero si personalitas creata tantum est modus nature, facile redditur ratio, quia modus ita essentialiter definitur ad illam rem cuius est modus, vt nullam aliam possit afficere, nec simul, nec successiue, neque vilo alio modo: nam in suo essentiali modo afficiendi includit non tam inherenciam vel vnionem, quam identitatem cum re quam afficit: & ideo non potest exercere effectum, vel quali effectum formalem suum circa rem distinctam.

Præterea inquiri solet, cur non possit personalitas creata sine propria natura conseruari: sicut è cõtrario potest natura existere sine propria personalitate. Nam si personalitas est res prorsus distincta, nulla ratio sufficiens reddi posset, cur non posset Deus illam seruari sine propria natura: tum quia nullum est sufficiens indicium huius distinctionis reale, præter separationem mutuum: tum etiam, quia nulla implicatio contradictionis intercedit, neque essentialis aliqua dependentia personalitatis ab actuali vnione cum natura, ob quam non possit ab illa separari, & separata conseruari. Quæ est enim hæc essen-

ialis dependentia, si personalitas est res distincta? At si solum est modus, facilis est ratio, quia intrinseca ratione & essentia modi est, ut per se ipsum sine alio modo unionis interueniente actu sit coniunctum, & modificetur rem cuius est modus: & ideo conferuari non potest separatus a tali re: nam hoc ipso quod separatur destruitur eius ratio formalis seu essentialis. Quod autem personalitas non possit sine propria natura conferuari, omnes supponunt: nam sicut intelligi non potest, quod conferuetur sessio, sine sedente aut, statio sine stante, neque actualis inhalio sine forma inharente: ita nec per se esse sine natura existente. Omnes denique similes quæstiones optime definiuntur iuxta hunc dicendi modum, ut latius in 1. Tom. 3. part. D. Tho. q. 2. 3. & 4. prosecutus sum, & in sequentibus nonnulla etiam attingam: est ergo hic dicendi modus probabilior, ac cæteris præferendus. Neque superest solvenda vlla ratio, quæ contra hanc conclusionem obici possit, nam tractando opiniones Durand. Scoti, & Caietan. quæ sunt veluti inter se extreme oppositæ, & inter eas hæc nostra sententia est media, omnibus est satisfactum.

Compositio ex natura & subsistentia, qualis.

Dico tertio: Personalitas creata veram facit compositionem cum creata natura, tanquam modus cum re modificata, seu tanquam terminus cum re terminabili. Hæc assertio satis probata est ex dictis contra Caietanum: & suppositis quæ diximus, est satis clara: nam compositio realis nihil aliud est, quam coniunctio eorum, quæ in re distinguuntur ad componendum verum tertium: ita vero comparantur in præfenti natura & personalitas. Atque ita satis declaratum esse relinquitur, quo modo personalitas ad naturam comparetur, tam in modo afficiendi illam, quam in distinctione, vel compositione cum illa.

Solum posset inquiri de comparatione in perfectione, vtra, scilicet, perfectior sit simpliciter, vel in genere entis, naturæ, an subsistentiæ eius. Nam si subsistentia est per se res distincta, videri potest res dubia, nam subsistentia est actus naturæ substantialis, & ultimus, & si est propria entitas intelligenda videtur tanquam sustentans & fulcres ipsam naturam, merito ergo existimari potest perfectior illa. Item aliqui ex his, qui existimant existentiam esse rem distinctam ab essentia, iudicant esse perfectiorem, quia est actus eius: idem ergo fortasse iudicabunt de supposititate, quia etiam est actus, & terminus substantialis, præsertim cum, loquendo consequenter in illa sententia, probabilis sit subsistentiam esse omnino idem cum existentia substantiali.

At vero iuxta nostram sententiam absolute verum est, substantialem naturam esse perfectiorem sua subsistentia, quia subsistentia tantum est quidam modus naturæ, vero est vere ac proprie substantialis entitas. Item, quia in substantia completa perfectior est essentia substantiæ, quam modus eius. Denique hoc confirmatur, quia alias Verbum non assumpsisset præcipuam entitatem, quæ est in homine, quod est incōueniens. Imo Scotus, ut sectione præcedente vidimus, repugnat in conueniens, quod verbum nō assumpsisset aliquam entitatem positivam & substantialem, quæ in nobis sit. Quod nos etiam facile concedemus esse in conueniens de propria entitate: negamus autem esse in conueniens de modo existendi ipsius naturæ: quin potius est necessarium, & aptissimum ad explicandum mysterium. Nam hoc ipso, quod humanitas non fuit sibi relicta, ut in se subsisteret, sed in Verbo, negasse est, ut modum essendi mutaret, non tamen quod entitatem amiserit. Sicut quantitas cum separatur a pane per consecrationem, mutat internum modum essendi, sine ablatione alicuius entitatis propriæ, & intrinsecæ. Vnde sicut in acci-

Tom. II. Metaphys.

dente, si comparetur actualis vno quantitatibus ad ipsam quantitatem, est quid minus perfectum, quam ipsa quantitas, ita est conuerso in substantia: modus subsistendi est quid minus perfectum, quam ipsa natura.

Vltimo potest inquiri, an personalitas comparetur ad naturam, ut actus intrinsecus, vel extrinsecus eius. Ad quod facilis est responsio ex dictis: si enim actus extrinsecus dicatur actus essentialis, sic personalitas non est intrinseca naturæ, quia non est de essentia rei, ut ostensum est, aliàs non posset ab illa distinguui, quia nihil magis est idem cum re quam essentia eius. Potest autem personalitas dici intrinseca naturæ, vel quia illi est intime coniuncta, vel quia ex natura rei illi debetur. At vero respectu personæ dici potest intrinseca tanquam de intrinseca ratione, & constitutione eius, quia illam intrinsece componit, ut superius contra opinionem Capreolo attributam satis probatum est.

SECTIO V.

Vtrum omnis subsistentia creata indiuisibilis sit & omnino incommunicabilis.



Ex dictis in sectione præcedente colligi potest definitio, seu descriptio substantiæ creatæ de qua sola nunc agimus, videlicet esse modum substantialem vltimo terminantem substantialem naturam, constituentemque rem per se subsistentem & incommunicabilem. Cuius descriptionis omnes partes declaratae a nobis sunt, præter vltimam de incommunicabilitate: quamquam enim hæc non sit de ratione substantiæ ut sic, nam in Deo reperitur substantia communicabilis: est tamen de ratione substantiæ creatæ propter limitationem eius, ut in superioribus tactum est. Ac propterea omnis substantia creata est supposititas vel personalitas, de cuius ratione est incommunicabilitas, sine vlla controuersia. Ad explicandum autem exacte hanc incommunicabilitatem, coniungimus aliam proprietatem de indiuisibilitate substantiæ, & ab ea incipiendum est, quoniam eius cognitio confert ad dictam incommunicabilitatem intelligendam. Non est autem quoad hanc partem difficultas de rebus spiritualibus, quia certissimum est earum substantiam esse indiuisibilem sicut & naturam: oportet enim, ut inter se proportionem seruent: vnde sicut vtræque spiritualis est, ita etiam indiuisibilis.

Siue subsistentia rerum materialium diuisibilis.

Hinc vero nascitur difficultas quoad substantias materiales: nam cum earum natura diuisibilis sit videtur necessario earum substantia esse etiam diuisibilis propter rationem tactam: quia oportet, ut inter se proportionem seruent, & declaratur in hunc modum, quia natura materialis dupliciter est diuisibilis, vno modo essentialiter, seu in partes essentielles ut humanitas in corpus & animam, & qualibet alia in suam materiam & formam, vel quantitativè seu in partes integrales, ut vna aqua in multas &c. Et ratione vtriusque compositionis, seu indiuisibilitatis videtur necessarium ut substantiæ materiæ diuisibilis sit: ratione quidem prioris compositionis, quia substantia non est entitas simplex distincta realiter a materia & forma, cum non sit entitas distincta a tota natura composita, ut ex sectione præcedenti patet: est ergo modus totius naturæ integræ proximè & immediate totam illam ut sic, id est, ut completam & integram afficiens. ergo sicut ipsa natura non est simplex, sed composita, ita & eius substantia nō est mo-